



**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

3. De Dormitione B. Virginis, & Assumptione quoad animam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

Cant. 5.

corporis sui instare sentiebat; quanto affectu ingeminarit: *Adiuro vos filia Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, ut nunciatis ei, quia amore langueo.* Quanto gaudio iam iam appropinquantem dilectissimum viscerum suorum videre, alloqui, amplecti desiderarit! Zelus hos affectus amoris, resignationis imitandi.

III. De dormitione B. Virginis, & assumptione quoad animam.

I. **C**ONsidera quanto lætitiæ amorisque sensu, quam feruenti frequentatione feruentissimorum affectuum humilitatis, fiduciæ, gratitudinis, amoris, resignationis, zeli gloriæ Dei, Virgo beata in suauissima Angelorum & Apostolorum præsentia, nullo morbo, nullo dolore, grauata, sed amoris ardentissimi telo faucibus benignissime inuitata à Filio præsentem, innumerabilibus ornatam meritis animam placidissimè efflârît, in hæc aut similia suspiria erumpens: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Ecco ancilla Domini, fiat mihi secundum uerbum tuum. In manus tuas Deus meus, Filii mi, commendo spiritum meum. Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimisi-*

dimittam. Congratulatio, gratiarum actio pro tam eximia in morte illi indulgentia, desiderium similis beatæ mortis.

II. Considera quàm dulciter Christus Dominus sanctissimam Matris suæ animam diuinis brachijs excepit, quamque illa gloriosè in nixa super dilectum Filium suum ex huius mundi deserto in cœlestem paradysum delicijs affluens ascenderit, inuitante

æterno Patre: *Accumbe nunc in iucunditate, quoniam inuenisti gratiam coram* Iudic. 12.

me. & Spiritu sancto: Veni de Libano Cant. 4.

sponsa mea, veni, coronaberis. Accinentibusque sanctis Angelis: *Tu gloria*

Iudic. 13.

Iudic. 13. *Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia semper fecisti viriliter, eò quod castitatem amaueris. Et ideo eris benedicta in æternum.* Congratulatio, gratiarum actio, spes gloriæ.

III. Quanto amore & triumpho fuerit in cœlo excepta, à Patre vt Filia, à Filio vt Mater, à Spiritu sancto vt Sponsa dilectissima, à tota Curia cœlesti vt Regina hominum & Angelorum, & pro meritis gloria & honore coronata. Affe-

ctus ijdem.

De